

1.55.5

*Imppp. Valentinianus Theodosius et Arcadius AAA. Potamio praefecto Augustali.*

Defensores nihil sibi insolenter, nihil indebitum vindicantes nominis sui tantum fungantur officio: nullas infligant multas, severiores non exercent quaestiones, plebem vel decuriones ab omni improborum insolentia et temeritate tueantur, ut id tantum, quod esse dicuntur, esse non desinant.

*D. III non. Mart. Constantinopoli Arcadio A. II et Rufino cons.* [a. 392]

1.55.6

*Idem AAA. Tatiano pp.*

Per omnes regiones, in quibus fera et periculi sui nescia latronum fervet insania, probatissimi quique et districtissimi defensores adsint disciplinae et quotidianis actibus praesint, qui non sinant crimina impunita coalescere: removeantur patrocina, quae fervorem reis et auxilium scelerosis impertiendo maturari scelera fecerunt.

*D. V id. April. Constantinopoli Arcadio A. II et Rufino cons.* [a. 392]

1.55.7

*Impp. Arcadius et Honorius AA. Caeciliano pp.*

Defensores civitatum oblatos sibi reos in ipso latrocinio vel congressu violentiae aut perpetrato homicidio stupro vel raptu vel adulterio deprehensos et actis publicis sibi traditos expresso crimine cum his, a quibus fuerint accusati, mox sub idonea prosecutione ad iudicium dirigant.

*D. prid. k. Ian. Mediolani Stilichone II et Anthemio cons.* [a. 405]